UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quadragesimale

Paoletti, Agostino

Coloniae Agrippinae, 1677

Præfatio Avthoris Ad Lectorem.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55672

Visual Library

PRÆFATIO

AUTHORIS AD LECTOREM.

Nihil mihi unquam minus in mentem venit, quàm quòd modicas haſce & malè concinnatas Compoſitiones meas Quadrageſimales prælo ſubjecturus eſſem. Veruntamen multorum perſuaſionibus adactus, ut in lucem ederentur, paſſus ſum me induci, futurum eſſe ſupponens, ut ſaltem nonnullis Concionandi ſtudio & labori deditis non minus gratæ futuræ eſſent, quàm quas pro Dominicis per annum & per Adventum aliàs editas divulgavi. Cùm verò præſens Quadrageſimale meum opus quoddam ſit in quovis genere imperfectiſſimum, non dubito, O benigne lector, quin mille mihi oppoſitiones circa idem excitare poſſis, quibus tamen, utpotè dudum à me prævisis paucis reſpondebo, vulgare illud dictum uſurpans, Cognoſco, video, audio; dum autem compono procedo pro libitu & arbitrio meo. Tu quidem imprimis mihi objicies, Sermones meos nimis eſſe prolixos, nec fruſtrà de eo conquereris, veruntamen ſcito, ita mihi viſum fuiſſe facere, ſi enim breves eſſent, in tui obſequium parum tantùm haberes, nunc verò quia longi ſunt & parum & multum prout neceſſum fuerit, in iis reperies: Et quidem ut tibi veritatem fatear, ad riſum ferè me provocas, miror enim quòd tam modico ſis præditus judicio, ut neſcias in longo ſermone id tibi ſeligere, quod aptè ad propoſitum tuum dictum videbitur, id verò quod tibi non ſervit aliis relinquere. Veruntamen tibi velut amico loqui, meumque conſilium manifeſtare decrevi, ex induſtria etenim & dedita opera prolixus eſſe volui, tametſi enim brevitas mihi facilior & commodior, non tamen æque grata fuiſſet, & accepta. Sed cur ita? Curioſus es nimium & hoc ſolùm me tibi reſpondiſſe ſufficiat. Adhæc exprobare mihi facile poteris, quòd pro Conceptibus ritè terminandis, non Claſſicorum ſed modernorum Scriptorum doctrinam ſæpenumerò adducam. Sed quid inde? Num fortè ſolus & primus ego ſum qui id facio? Integrum tibi idipſum facientium texere catalogum poſſem. Superfluum identidem eſſe exiſtimabis, quod folium, columnam, numerum, & literam diſtinctè in poſtillis meis expreſſerim, Feci autem idipſum ut candidè tibi fatear, quia ita mihi placuit, & ut certum eſſe videas, adductas à me auctoritates non eſſe P. Talpithei, ſed lectas, ſed viſas, ſed ponderatas, & quid tibi inde faſtidii generatur? Porrò ſi diſpicent tibi, mihi placent, ſic enim authoritates illas à me ſpecificatas volo; quod ſi autem citationes meas cum tuis Libris non coincidere contingat, cave ſis, ne id reprehendas, quin potius illos, qui in eadem forma qua mei editi ſunt, Libros habere ſatagas, & niſi tunc citationes meas accuratas eſſe deprehenderis, lamentationes tuas libenter admittam. Quod ſi verò nonnullas impari diligentia ſpecificatas citationes repereris, iterum mirari deſinito, cauſa etenim illius eſt, quia quam citant doctrinam in fonte non vidi, ſed prout ab aliis citatam reperi, probas quoque eſſe bona fide exiſtimavi. His tandem adjungo, me in hoc Quadrageſimali Sermones Sabbathinos ſtudio omiſiſſe, hos namque (ſi DEO ita placuerit) ſeparatim prælo ſubjicere decrevi, ſubjecta prærogativarum & excellentiarum MARIÆ *Virginis Evangeliis Sabbathinis applicando, quibus ſi Sermones in Feſta Sanctorum per Quadrageſimam occurrentia, nec non in ſingulos Hebdomadæ majoris dies à me etiamnum conſcribendi acceſſerint, conficietur ex Sermonibus circiter viginti integrum juſtumque Volumen. Et hoc quidem eſt quod tibi dicendum occurrebat, O Benigne Lector, Interim te etiam atque etiam obteſtor, ut hoc malè concinnatum Opus meum patienter legas, meiſque, nec non Typographi variis compatiare defectibus; cùm enim abſens correctioni aſſiſtere nequiverim, varii irrepere facilè errores potuerunt. Credo equidem quòd in ſingulis Sermonibus duos vel tres ſis reperturus Conceptus tibi minimè futuros ingratos, ob quos expoſitam in hujus Libri comparationem pecuniam te haud fruſtrà adhibuiſſe exiſtimabis, aut ſi ſecus accidat, comparatum à te Librum Bibliopolæ reportato, tuamque tibi pecuniam curato reſtitui. Vive feliciter & Deum pro me ora? Qui ſum*

Devotiſſimus Servus tuus

F. AUGUSTINUS PAOLETTI.